



Totius Hollandiæ septentrionalis vulgo Westfrisiæ novissima tabula

Kaart van het noordelijk deel van Holland, Marcus Zuerius Boxhorn, 1632

<https://hdl.handle.net/1874/20433>

MARCI BOXHORNZVERII.



HOL-39

quam bello Caninesates Marsacosque incurabat. ac proin haud ope-
rosum fuisse, trajecto amne, paucis milliaribus confectis,
improvisos subitario agmine, priusquam cogi miles ac no-
men dare posset, adoriri atque opprimere. Deinde, quia
tunc temporis melior Caninesatum pars, Duce Brione,
in castris Civilis aberat. Placuit tamen Divæi sententia
Ponto Heutero, qui lib. 1. ca. 12. Veteris Belgij ad hanc Iu-
nij rationem, sed frigide, respondet: *An non, inquit, adeo erant*
rerum imperiti Batavi ac Caninesates, qui domi relinquerent sufficien-
tem juventutem defendendo imbelli sexui & ad tutandum fines remque
familiarem? Erant sane, neque illis assiduæ curæ ac industriæ
laudem derogamus, sed interioribus his non prospexerant,
nihil de hostibus, nihil de Labeone, qui furtim magis, quam
aperto bello grassabatur, cogitantes. Cum autem ipse Ca-
ninesates ad Bataviæ aliquod latus ponat, eo in tractu, ubi
nunc inter Gorichemum & Dordrechtum omnia maris in-
undatione obruta sunt, meliore jure rogavero, an adeo bel-
licarum rerum fuerint ignari Batavi & Caninesates, ut inter
medios hostes positi, alio profecti, ditionis suæ fines mili-
tum præsidio non firmaverint? meliore dixi jure, quia ut fi-
nes tuti, atque hostium irruptionibus sustinendis pares sint,
ante omnia dari opera solet. *Amstelandia* à fluvio & urbe
cognomine, quam complectitur, ita naminatur. Sequitur
hanc *Waeterlandia*. quæ ab aquis, quibus tantum non inna-
tat, nomen suum meruit, inter fossas atque paludes sita. Ur-
bes ternas complectitur, Edamum Monachodamum, & Pur-
merendam cum pagis nonnullis. Marsacos veterum esse ego
existimo. Vestigium nominis tuentur fluentia plurima, quæ à
Maras, vel contracte *Mars*, quod paludem, & *Meer*, quod ma-
re nobis significat, denominantur. Talia sunt *Schermermeer*,

Wormermeer, & Noortmeer, & Monickermeer, Belmeer aliaque. Est &
in proximo mari, *Goutzee* vocant, insula *Marcksen* nomine,
quæ haud obscure Marsacos redolet. Marsacorum, seu Mar-
saquæorum, meminit marmor hoc antiquum.

D. M.

T. HORTESIO. MUCRONI. NAT
MARSAQVÆO. V. AN. XXXXV. ÆL
VERINVS. ARM. CVST. EQ. SING
AVG. FRATRI. F. C.

Westfrisia est, strictè accepto ejus vocabulo, quam *minorem* et-
iam *Frisiam* appellamus. *West-Frigia* scribitur in Epitaphio,
quod Atrebari in templo cathedrali legitur :

HIC IACET BONÆ MEMORIÆ RE-
VERENDVS IN CHRISTO PATER,
DOMINVS FORTIGARIVS, EPICO-
PVVS ATREBATENSIS, DE OPPIDO
BRVGENSI IN FLANDRIA ORIVN-
DVS, PHILIPPI DVCIS BVRGON-
DIÆ ET BRABANTIÆ CONSILIA-
RIVS,